



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Mansuetudo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

is, qui pietatem ex Elephanto picto exprimere voluerint. Idem humanis proximis sensibus, sermonem patrium intelligunt, gloriam & honores ambiunt, ignominia notati, mortem infamæ vitæ præferunt, quam interdum, alia sibi consciscendæ mortis occasione negata, inedia finierunt. Quoties vero in theatris oppressi, amissa fugæ spæ, vulgi misericordiam supplicarunt, & quadam sese lamentatione complorantes, totum cavæ confesum in lachrymas concitarunt?

MANSVETUDO. CAP. XVII.

Cum tamen tanta ipsi sint æquitate, mansuetudine, quæ ut crudelitatis alienæ ministerio fungi minime cogi possint, quod irrito olim Bocchi conatu apparuit, contra minus validas feras pugnare prorsus negant: cumque majoribus non nisi laceßiti; & in grege pecudum ambulantes, occurrentia manu dimovent, ne quid obterant imprudentes: tantaque illos imbecillioris hujus gregis tenet reverentia, ut vel feri ex Arietis conspectu mirifice cicurentur, lenesque atque tractabiles fiant, auctor Plutarchus Symposiacõn XII. Quid quod aberrantem hominem in solitudine factum obviam non modo non trucidant, aut alia afficiunt injuria, sed clementer^a & placide sese duces præbent, & viam illi commonstrant? Quod vero de sermone dicebamus, quem patrium intelligant, ac etiam certum



^a Plin. l. 4. lib. 8.

^b Elephan-
te inter se
colloqui
dicitur
in animalium
lingua.
^c Epistola
ad Mari-
um.

eos inter se habere tradit^b Oppianus, verum nonnisi à magistris suis intellectum. Jam illud ætati nostræ claro innotuit experimento, eos magistri suo dicto audientes esse, sive progrediendum, sive regrediendum sit: quem feriant, quibus abstineant, quos invadant, ubi temperandum iræ, ex ipsius magistri sermone cognoscere, ut non immerito confirmata sit opinio, *Hujusmodi esse quandam illi belua cum genere humano societatem*, ut M. Tullii^c super ea re identidem usurpemus. Cum igitur Elephas justus & moderati imperii species quodammodo esse videatur, merito Regis nomen, tum ob virtutes, quas superius in eo recensuimus, tum ob hanc ipsam mansuetudinem, atque clementiam, adeptus est M. Antonius cognomento Philosophus, nihil quicquam esse dicebat, quod Imperatorem Romanum magis commendaret gentibus, quam clementiam, eaque de causa, neque quidem in rebelles suos sævitum voluit. Hæc Cæsarem Deorum adscripsit numero, hæc Augustum consecravit, hæc Pio cognomentum dedit: hæc eadem de causa Senatus Romanus timore eo liberatus, quem ex Maximini Imper. immanitate contraxerat, clementissimis Imp. Maximo Balbino & Gordiano statuas cum Elephantis decrevit. Quamvis alia de causa Gordiano tertio quadrigæ Elephantorum decretae sunt quippe, ut qui Persas vicisset, triumpho Persico triumpharet. Sed qualis ea in animali bruto mansuetudo fuit, quam recitat Plutarchus? Romæ cum pueri quidam per lasciviam Elephanti promiscidem stylis pupugissent, iratus ille unum ex illis arripuit, eum in sublime jaculaturus, sublatoque ad hoc præ metu puerorum ingenti clamore, socii morituri vicem deplorantium, tanto omnium mœnore Elephas intellecto, arreptum puerum humi molliter deposuit, fatis habens metu illo puerilem audaciam castigasse.

IRA LACESSITA. CAP. XVIII.

Quamvis vero ita natura mansueti sint, in iras tamen acriter incitantur, perturbatique irritatione aliqua acerbior, immaniter efferaunt. *Iustus enim* (ut in Divinis habetur literis) *cum irascitur, peior est*, eoq; casu tam hostibus quam duatoribus suis perniciosi sunt. Quam in eo animali naturam cum non ignoraret Annibal, eam in usum suum convertit: quippe cum in præalti fluminis transitum Elephantos compellere non possit, neque materiam, qua naves conficeret, copiam haberet, ferocissimum Elephantum sub aure vulnerari iussit, percussoremq; transnatasto statim flumine procurrere: